N.° 11.

Caroli de la Boissier

Chirurgi Pontificij, et Nosocomij S.mæ Consolationis de Urbe Commentarium de raro Aneurismate in summitate Brachij, curato ope cujusdam Machinæ ad opportunitatem novissime concinnatæ.

Monitum.

Ut contracontes oratio procederet, nec tessellatum quodammodo opus fastidiret, animadversiones et auctoritates exornationi, confirmationique argumenti maxime idoneas, tum excerpendas, secernendasque duxi, cum in calcem rejeci, quod plures, copiosioresque essent, quam ut exiguo margine contineri possent, locis animadversione dignis alphabeti littera lunulis circumscripta indicatis, ut adita, quæ simili insigniatur littera, adnotatione hæc quæ loco explicando respondeat, inventu facillime occurrat.

Observationes a casuum novitate profecte, sicut scientiis omnibus, sic Me-
dicinæ potissimum incunabula præstiterunt, firmatisque ex multiplici
observatione theoriis, et regulis adolevit saluberrima Ars, et ad stabi-
lem, nobilemque ætatem provecta est, maximo hominum bono. Cum-
que ex successiva casuum novitate majora semper incrementa ca-
piat, tandem fieri posse speramus, ut ob assiduos conatus, et labores
in Arte medica initos, meditationesque ingenio, et ratione excultas
ab exercitatissimis, scientissimisque viris, quot ad mortem patent aditus
tot ad salutem exitus aperiantur. Quoniam vero nonnulla in admi-
nistratione chirurgica obtigerint mihi insolita, et præ ceteris sanatio
desperati Aneurismatis in sede brachij a nemine nondum, quod sci-
am, ne observata quidem, hinc historiam eiusdem, et aliquas obser-
vationes, quas pro rē nata deduxi, non vereor examini vestro subijce-
re, ut si forte cognoscatis, quidquid a me tentatum est, et animadver-
sa sunt, quamvis exigua utilitate commendentur, pretio tamen no-
vitatis insigniri, nec culpa circumscripti ingenij prorsus deseri, et
destitui, sentiam aliquid a me etiam collatum fuisse in commu-
nem utilitatem.

Quidam trigesimum quartum agens annum ætatis, dum rixaretur, vulnus
accepit ex instrumento incidenti in parte antica, et superiori brachij
sinistri, ad duos digitos transversos ab humeri summitate. Delatus
ad Nosocomium Smæ Consolationis de Urbe non magno doloris sensu
afficiebatur. Sanguis, qui lente ex vulnere profluebat, splenijs a
Chirurgo Substituto applicitis, facili negotio restitit. Dimidij digiti
crassitie sub vulnere tumor sequenti die se se exhibuit, qui nullis
digerentibus, resolventibusque remedijs unquam resedit. Decimus quar-
tus a vulnere præterierat dies, dum nocte, diffractis vasis, superatisque
fascijs, et splenijs e carceribus alte erupit sanguis per fauces vul-
neris. Linamentis carptis, novisque splenijs, et pressione idem Su-
bstitutus injecit moram profluvio sanguinis, qui mox violentius
eructavit. Itaque addita sunt arctiora fasciarum vincula, et hac
ratione processum semper est, usque ad roboratam septimo deliga-
tionem. Qua sane conquievit cruor, sed sublivide nigrescebat ar-
tus omnis et algenti sideratione correptus incidebat in necrosin ma-
nifestam.

Accersitus tunc ego ad curationem, factis scarificationibus in extrema
manu, brachioque, alijsque inditis ex arte præsidijs, nitebar, ne ex

gangrena artus emoreretur. Dum vero pronunciabam de laceratis ex vulnere primis arteriæ truncis, deque aperto inde per erosionem aneurismate, trigesimo primo a die inflicti vulneris vicit rursus sanguis oppositas omnes pene moles, plenoque, et incontinenti gurgite diffluebat. Desperatio ferendæ opis occupavit adstantes omnes, unumque superesse effugium, tamquam anchoram sacram, clamabatur in brachii amputatione. Ego vero prospiciebam, locum prius esse posse illigationi arteriæ quam si comprimi datum fuisset, auspicabar rem non male cessuram fore. Duo itaque frustula lignea accepi, levia, singula faciem unam convexam habentia, alteram complanatam, novem pollicibus longa, ut videre est fig. 1. quorum extremitates AA. ubi profunda satis incisura gaudebant, ligavi, ut tribus circiter pollicibus a se distarent. His supra vulnus brachium comprehendi ita, ut hinc inde in facie complanata contingeretur, ligatæ extremitates demissæ essent, liberæ vero, quæ Administro commissæ, validæ coerceri manu valerent, existerent superne. Anticum ligni frustulum spleniis suppositis arteriam sub axilla premebat. Sic ab eruptione sanguis prohibitus est. Acum subinde falcatam, instructam cerato filo traieci paulo supra rupturam ita per summam carnem, ut deligatio facienda consisteret, comprehensamque arteriam, et nervum, venamque comites fortiter constrinxi. Post hæc, remotis comprimentibus lignis, ex conspicua pulsatione visus est sanguis arietare contra vincula iniecta, qui alio minimo exitu vel exiguus prodiret. Iudicavi igitur de sanitate et sufficientia oppositi obicis, cujus resistentia ne rumperetur, donec ligata arteria percalluisset, vasaque lateralia paria fierent sustinendæ dilatationi quæ ab appellente nova sanguinis copia fuisset inducta, descripti bacilli rursus applicarentur, perque aliquot dies continuarent vim compressionis volui. Cetera, ut circumductiones fasciarum, sanguinis missiones, clysmata, juscula et similia, ex more artis ministrata sunt pro opportunitate symptomatum, quæ sensim omnia remisere, donec vulnus digesto pure, ope vulnerariorum coivit. Hisce perfectis, atrophia aliqua brachium tenebat, paulatim tamen ad naturalem vim, calorem et motum, integramque potentiam pristinarum functionum rediit.

Observationes nonnullas, quæ Anatomen, Physiologiam, Chirurgiamque ipsam respiciunt, incidit mihi occasio enarratæ curationis. Quoad Chirurgiam versantur circa qualitatem instrumenti Compressorii,

quo ad sistendam hemorrhagiam usus fui. Non me fugiebant cetera in hunc effectum excogitata instrumenta ab experientissimis viris; quę cum multa sint, ad duo tamen genera revocantur; alia scilicet, universum membrum cui applicantur, ęqualiter circumprementia, alia quorum actio intendi potest in loco dumtaxat redundantis arterię. Posteriores ejusmodi machinę merito prę antiquis usurpari et sufficere consueverunt, quia vacant periculo, cui illę ęgrotum subjiciebant. Cum enim ęqualem pressionem facerent in toto ambitu artus, non solum occludebant hiantem arteriam, sed fluxum etiam sanguinis, et refluxum inhibebant in aliis arteriis, et venis ex quarum libertate cum suppetias caloris, et vis vindicare tantum posset membrum Aneurismate affectum, facile, illâ interceptâ, ad necrosin, sphacelum, et gangrenam destinabatur.

Inter has pejor etiam species machinarum referri debet, quę cum nulla instrueretur cochlea, qua in quovis requisito pressionis gradu contineretur, opus erat, ut idem prestaret Chirurgi, vel administri manus continuo machinę applicata. (a)

Periculo, et incommodo predictis immunia solum sunt, quę torcularia Bourdelottus invexit egregie propterea de humano genere, et Chirurgica facultate meritus. Sed accedens ego ad curationem hominis, de cujus sanato Aneurismate disseritur, ab eorum usu vel invitus abstinui. Malignitas quippe situs, ubi arteria eruperat, negabat Tourniqueto aliquod aptari posse, ut absque exhibitione illius figurę conjectura prospicitur. Ob expositas autem difficultates nolebam exoleta tortilia vincula, et ejus farinę similia, quę commode tamen affecto loco conveniebant, in usum revocare. Speciem itaque compressionis excogitavi, qualem descripsi in exposita historia, conspiciendamque exhibeo fig. I. per quam eruptio sanguinis ex arteria sauciata impediretur penitus, itidem vero precluderentur minime, si non cetera vasa sanguinea, saltem aliqua, quę transmittendo calori, et vi in brachio sufficerentur.

Sanatio ęgri feliciter subsequuta fidem mihi dedit de efficacia appositi instrumenti, quod, cum ea temporis angustia rude admodum foret, manumque requisivisset alicujus administri qui, comprehensis superioribus, et externis capitibus bacillorum, illud in actione continuę compressionis ad opus conservaret, facile sensi tanto incommodo posse imposterum expediri, et singulis, eximiisque dotibus instrui qu-

bus polles Torcular Bourdelotti, si Cochlea, aut simplici etiam vinculo coriaceo, manu etiam ipsiusmet ægri moderando, donaretur, per quod capiti unius ligni firmiter infixum, et ope fibulæ capiti alterius adnectendum, requisita quævis compressio obtineatur. Prædictum itaque Instrumentum restitui et correxi ea forma, qualis se prodit fig. C. in qua observandum est, quod eatenus curavi, quod Splenium comprimens A. libere excurrere possit per rimulam a B. in C., ut scilicet commodior, et opportunior compressio fiat juxta diversum situm quem habere potest arteria comprimenda; Consistit enim illico Splenium in quovis puncto, ac applicatur, quo vinculum fibula fortius colligitur, ut animadvertenti patet. Cum ergo Instrumentum, de quo agitur, sit ita constitutum, vel in hoc maxime præstat Torculari Bourdelotti, quod illud in omni artuum sede, hoc vero in aliqua tantum aptari possit.

Non mediocris sane utilitatis id in Chirurgica facultate censendum esse atque per descriptum Instrumentum iis etiam casibus provisum fore, quibus graves in compescenda arteria Chirurgis hactenus oblatæ sunt difficultates, patet ex historia amputati brachij a Friderico Heistero relata per Hallerum to. 5. dissertationum Chirurgicarum pag. 403. Torculari enim consueto Hist. præd. §. 18. locus non erat, præsertim, quia fere sub axilla amputatio fieri debebat (b), metuendumque erat si torcular non adhiberetur, ne, durante operatione, ex arteria brachiali funesta sanguinis profusio accideret. Quamobrem, cum amputatio, consueta tunc methodo, perfici non posset, et tamen Ægra sine illa, superstitem fore negabatur, acum incurvam filo duplici robusto, et cerato munitam, per carnem in tenebris quodammodo trajecit exercitatissimus vir et circa arteriam brachialem circumduxit, filoque deinceps arteriam una cum vicina carne constrinxit. Res optime cessit, habitamque methodum ligandæ per compendium arteriæ in ipsis Aneurismatibus tam Spuriis, quam veris circa partem superiorem arteriæ brachialis existentibus, jure proposuit et suasit dissert. cit. §. 18. Fridericus Heisterus, quia non alia ratione operationem combusti brachij auspicari posse cognoverat. (c) Eam tamen experiri nolui, rem aggressus ope instrumenti, de quo prædicatur. Instrumenta compressoria ad cohibendum profluvium sanguinis egregia semper commoda præstant. Sistunt hemorrhagias extemplo, a quibus totum pendet ægrotantis discrimen, facultatem largiuntur,

ut arteria explorari possit, et probe, cauteque vinciri quæ ligata, si laxatis compressionibus, nihilominus hemorrhagia prosequatur, quoniam hanc fluere necesse est ex superioribus ramis arteriosis, constrictis iterum compressionibus, exploratisque arteriolis, cauta, et non fortuita ligatura hisce etiam nectenda est. (d) Nec reponatur, quod neglectis, et omissis torcularibus omnibus expeditior operatio habeatur. Celeritas quippe operationis laudabilis est. Sed memoria retinendum adagium illud Antiquorum = Cito satis, si recte satis = Quod si aliquibus in casibus alligandæ arteriæ sint, quibus omnino negatum sit quævis instrumenta compressoria applicare, tunc in subsidium absque ulla temeritatis nota, vocari poterit, nova Heisteri ratio, quia, ut ait Celsus, rebus desperatis, satius est anceps experiri remedium quam nullum.

Perfecta restitutio in integrum brachii post absolutam operationem præsentiam Anastomosium confirmavit mihi, quas prope cubitum occurrere accepi ex nuperis Anatomiæ Scriptoribus, ob coalescentiam ramificationum brachialis Arteriæ Majoris, tum cum minori trunco externo tum cum ramis radiei, et cubitalis. Dalphinus in Anatome Chirurgica to. primo part. 3. art. 1. eas sic describit = Arteria brachialis = antequam ad Cubitum accedat, multos exiguos emittit ramos, quos inter = præ ceteris eminet, qui nervum radialem comitatur, oblique descendens = ab interna brachii parte versus externam, ramus hic se plus coit cum = arteria quadam, quæ ex antibrachio ascendit, vocaturque collateralis = externa.

= Ubi arteria brachialis ad flexuram cubiti accedit ramificationes im = = pertitur, collaterales dictas, se se anastomizantes cum ramis, qui ab ar = = teria radiali et cubitea emissi, post earum divaricationem ab utroque latere versus brachium ascendunt. Monro in explanatione de arteriarum tunicis, earumque morbis adnexa Observationi Domini Macgill relatæ in Act. Edimb. to. 2. prior Anastomoses Arteriæ brachialis in lucem edidit, dein a tot auctoribus ita reproductas et confirmatas, ut firmum sit, quod Chirurgiam Arteriæ brachialis ~~[illegible]~~ devinciendæ, absque partium necrosi subsequente, tuto permittant vasa lateralia, quæ ubique, præsertim in brachio, non constanti tamen numero et situ semper adsunt. Singularis præ ceteris est processus arteriæ brachialis, quam in cadavere fœminino detexit Laurentius Heisterus, ut hic non referri non possit = Arteria axillaris dextra, statim ubi axillam dese-

=ruerat, atque ad brachium pervenerat, mox in duos ramos brachiales
= divisa erat, quorum alter per internum cubiti latus, versus cubitum,
= alter vero mox infra articulum humeri supra musculum bicipitem
= transibat, postea prope poplitem vario divisus, per Anastomoses
= cum prioris in manu ramis jungebatur qui deinde simul per manus
= et digitos distribuebantur. Quales usus in Chirurgia facienda ex
= his in vulneribus brachialis arteriæ periculosis, itemque in aneu=
= rismatibus curandis deduci possent brevitatis causa silentio hic præ=
= termitto, atque solum moneo numquam, ob vulnus brachialis arte=
= riæ, brachium esse amputandum, ut alias jam factum est a chirur=
gis.

Hæc omnia habet Heisterus in compendio Anatomico not. 66. quæ pro=
lixius legi possunt in dissertatione quam titulo Observationum Me=
dicarum ann. 1730. Mebius Hemlstadij publicavit pag. 18.

Interim vero vir summus Heisterus Instit. Chirurg. pag. 446. part.
1. ad effectus quosdam explicandos, qui exsectum, sanatumque Ane=
urisma consequuntur = disquirendum adhuc, atque explorandum
curiosius in ejusmodi hominibus defunctis aliquando esse monet,
qui dictam illam operationem experti fuerunt = Quod exequi
uni, quod sciam, contigit Molinellio. Historia referens hujusmodi
experimentum prostat in Comment. Instit. Bononiens. to. 1. part. 1.
in qua, inter cetera demonstravit Anastomoses ramorum Bra=
chialis Arteriæ, per quas vis et motus in brachio superfuit. (e)

Cum ejusmodi Anastomoses ad proxima usque tempora latuissent Ana=
tomicos, fuit in causa, cur fassis in aliquo Artu Aneurismatibus, cen=
serent non alias ægros conservari posse, quam ope vulnerariorum,
per quam vel trunci, mutilique vitæ tradebantur, vel ex quo nota
ratio perpetrandæ amputationis rudis adhuc esset et barbara, post
teterrimos illatos cruciatus, nihilominus ad plutonias sedes demit=
tebantur. (f)

Quæ physiologiam spectant observationes proficiscuntur ex non im=
pedita articulatione brachij, ob colligatum cum arteria nervum. Id
ausus sum tum quo celerius operatio perficeretur tum ex fide ce=
leberrimi Molinellij (g) qui ob institutas simili ratione vinctu ras
arteriarum observavit actionem nervorum nec tolli, nec lædi. Carolus
Guattani nescius quæ rarissima experimenta jam sumpsisset Lau=
danus Molinellius, ut fortasse sustineret non inutilem tunc adhibuis

se curam in liberando nervo a vinctura Arteriæ occasione operationis, cujus historiam jampridem relatam in Commentariis Instit. Bonon. denuo imprimendam voluit in Opere de externis Aneurismatibus a se edito anno 1772. sæpius hoc libro, colligandi nervi, suppresso tamen nomine, Molinelli audaciam carpit, taleque exemplum sedulo cavisse semper dicit, non alia reddita potiori ratione, novisque experimentis quibus Molinelli methodus tamquam perniciosa et temera reprobari possit, quam, ob metum ne rigores sive spasmi, aut convulsiones nervorum ligaturæ superveniant. (h)

Nec valet, quod si sanatio brachii Aneurismatici perfecte habita sit, etiam non ligato nervo, ut probant allatæ historiæ a Carolo Guattani, aliæque apud Chirurgicos Auctores reperiendæ, tutius, laudabiliusque sit a periculo operationis abstinere, quæ superflua certe sit et fortasse exitialis. Vinctura enim nervi, aut articulationem intercipit, aut non. Si quoties colligatus arteriæ nervus est, toties motus superfuit, ut constat ex experimentis Molinelli, jam ergo tutissima semper operatio est, nam non ejusmodi est, ut ancipitem præstare possit effectum. Jamvero, quoniam periculo vacat, superflua non est, non versamur enim, facta damni præcisione, in paritate utilitatis. Cautela liberandi nervi longiorem efficit operationem, cujus celeritas maximo sane lucro opponenda est, quin immo facilem fortasse causam præbere potest, ut acu pungatur nervus (i) dum sedulo illius libertati prospicitur. Constat autem ex innumeris experimentis, quod puncto nervo, sensus et motus pereat artus, quem ille irradiabat. Experimenta ejusmodi, et alia quæ de sensus, motusque abolitione passim observata sunt, singulare phænomenon non tollunt superstitis motus, si nervus in vincienda arteria colligetur. Illa nempe vel plane discissum nervum, vel admodum mollem, vel ligatum, moxque restitutum unicum nervum, qui parti prospicit, respiciunt. Physiologiam interest causam diversi effectus eruere, quam fateor difficilem sane exploratu esse. Joannes Albertus Haron in quæstione Medico Chirurgica, quæ prostat in Collectanea dissertationum Chirurgicarum Halleri to. 5. pag. 118. multa conjectatur pro explicatione singularis phænomeni, quibus tamen nescit animus physicæ veritatis cupidus omnino conquiescere. Conditio ad conservationem motus ab eo inutiliter et gratis assumpta mihi esse videtur, quod scilicet ratio vincti nervi ad alios non major sit quam 1. ad 3. Hæc enim locum habere posset, si constaret alias quemadmodum Respicatus=

est Morgagnus Epist. Anat. Med. 26. art. 13. = ibi = nervorum ramulos
= cum inferioribus eorum qui ligati sint ramis communicantes, paulatim
= aliquo interjecto tempore sic dilatare aliquando posse meatus suos, ut non
secus atque in sanguiferis vasis accidit, iis e transverso suppetias ferant.
Quod si res hac de causa sane procederet, corollario deducendum esset, omni eti=
am actione destitui nervos, a lateralibus comiter et benigne subeunda,
ubi illi a latiori aneurismate compressionem validam patiantur. Sic facile
difficultatem propositam Advers. Anat. 6. Animad. 44. enodare potuisset
idem Morgagnus = qui fieri posset, ut in Veneta Muliere, quam cum Ani[illegible]
= dissecuit, cum arteriæ Subclaviæ Sinistræ Superiores, posticique partes in
= Aneurisma expansi duos tresve nervos ex iis, qui ab inferioribus cervicis
= vertebris ad brachium descendunt, nulla prorsus interposita re continge=
= rent, qui fieri unquam posset, ut nulla tamen debilitas, nullus torpor in
eo brachio fuerit animadversus. Sic facile alteram etiam sustulisset
difficultatem ibidem propositam = qui fiat ut nervus intercostalis ab ejus
= origine claustrum membranosum superscandens, deferatur in consequens
= in continuitatem carotidis, neque tamen ejus nervi munera ab assidua
= hujus pulsatione turbentur, præsertim cum is nervus non ut priores pos=
sit cedere, sed communis ipsi et arteriæ ossei foraminis allidatur = An
ergo nervus intercostalis, ob ea, quibus circumseptus est, incommoda, nul=
lo officio præstare dicatur? Propositio non absona non est. Sed quoniam
compressio, et vinctura ejusdem esse indolis, et intensitatis gradu differre
solum videntur, ea propositio uni alterique difficultati quadrat, quot=
cumque assumatur opinio, quod ligatorum nervorum vis et actio ex his
ad laterales deferatur.

Fortius autem contra ejusmodi opinionem, cui videtur etiam subscripsisse
celeberrimus Haron, urget animadversio, cur ~~ligato aliquo~~ nervo aliquo
punctura affecto, vel discisso, vel ob mollitiem elasticitate destituto, motus
pereat in membro, cui ille prospiciebat? Cur pari ratione laterales nervi
extincta officia non redintegrent? Cum vero nulla existat causa, quare
id efficiant in casu tantum vincturæ alterius, ceteris neglectis vitiorum ca=
sibus, pace non solum Morgagnii summi viri dixerim (m) opinionem,
quod, ligatis nervis, mechanicam arteriarum legem sequantur contigui,
utpote contrariis indiciis laborantem rejiciendam esse, sed pace etiam Lau=
dati Alberti de Haron conditionem supra expositam, quod ad retinen=
dum motum ratio vincti nervi ad alios in eodem artu hospitantes non ma=
jor sit, quam 1: ad 3. inanem, et extra propositum esse.

Post hęc, quid ergo dicendum de causa superstitis motus in subiecta materia? An non patet, non obstante vinctura, nervum a spiritu suo, cujuscumque is naturę sit, libere adhuc permeari, minimeque supprimi, coerceri, et labefactari actionem illius, qui tollatur, pereat, aut alio divertat in reliquis contractis affectionibus ad instar catenę electricę, cujus ignis non propagatur, absumptus, et abreptus ab externo corpore ad contactum admisso?

Quodsi hypothetica hujusmodi explicatio non omnem extinguat admirationem singularis phęnomeni, fortiorem certe admirationem movet observatio dissectionis brachij a laudato Molinellio initę post mortem in viro Chirurgo, qui 30. ante annos aneurismate laborans a Valsalva curatus fuit adeo feliciter ope colligationis nervi cum arteria, ut in quo lęsus fuerat brachio, in secanda vena, aliisque administrandis operationibus perinde uteretur, ac si integerrimum antea habuisset. Loco nempe arterię, venęque brachialis, quę per tractum non brevem deficiebant, nervus insignem crassitudinem contraxisse visus est ex tereti in sphęroidem mutatus, ganglio similis, qui dissectus, fibras longas exhibebat, cum aliis reliqui nervi continuatas, sed ibi a se invicem disjunctas, interstitiis substantia quadam cellulosa repletis. (n)

In hujusmodi phęnomenon serio meditatus est idem Haron dissertatione citata §. ultimo, et quoniam vidit dilatationem obventam ex vinctura nervo conformationem gangliorum ęmulari, hinc colligit, aut ganglia illa artefacta eodem ac naturalia officio perfungi, aut nullum etiam his ex natura institutum esse usum, functionesque, quibus profecta prędicantur, ut fictitias argui posse. Suspiciosa illa Haronis elucubratio non infensa non est Lancisio acuti imprimis nec non castigati ingenij viro, qui tam mirifice scripsit de gangliis nervorum. Nostram vero sententiam proferre audax nimis esset, prēterquamquod ab instituti ratione longius recederem. Hęc itaque occasioni magis proprię remittam, idque unum nunc inconcussum maneat, nervos duros, musculos adeuntes ligari posse, illęsis functionibus. Cum vero, hac ratione procedendo, cultro minus exponantur, jam patet ex dictis quanta aneurismatis operationi accedat securitas, a qua abstinere quemquam, qui aut timeat inde artui negatum iri sensum et motum, aut ubi nota huc usque torcularia locum habere nequeant, rationem non aliam teneat compescendę arterię, hominis est in facultate Chirurgica rudis, et pusillanimis. Non solum enim de Anastomosibus arterię radialis

cum Cubitali, per quas punctura ex Sanguinis missione sanantur ut plurimum, sed etiam, quod rami nonnulli brachialis interne cum externo trunco minori anastomizentur, non licet amplius vel leviter in Anatomia imbutum dubitare. Ope autem adhibiti a me, propositique instrumenti, aliorumque excogitandorum feliciter, ubi nec illud nec torcularia precedenter inventa, aut commode, aut omnino aptari possint, nitendum est, ut, aucta semper instrumentorum Chirurgicorum supellectile, potissimam artem ad opitulationem hominum natam, ita perficiamus, ut iis etiam casibus provisum esse sentiatur, in quibus, ob angustiam, infelicitatemque situs, spes nulla subest arterie cohibende.

Adnotationes.

(a) Notavit Heisterus Instit. Chirurg. de Arteriar. Lesion. preter quas machinas ipse emendavit methodos omnes ab Antiquioribus usque ad sua tempora invectas pro reprimendis hemorrhagiis arteriarum.

(b) Eodem fere loco, quo vulneratus, eger noster aneurismate affectus est.

(c) Putavit Heisterus non posse applicari torcular etiam quod denudata carnis acutissime sentiret et ad levissimos contactus doleret vehementissime §. citato. Verum frustra hec pendebantur, ubi applicationem torcularis angustia situs non pateretur, cui difficultati, si caveri potuisset, non video, quod non minimi facienda non fuisset illa denudate carnis, quandoquidem expertum est, absque gravibus symptomatibus colligari cum arteria posse etiam nervos comites, ut inferius demonstrabitur.

(d) Exempla multiplicis vincture in operatione Aneurismatis pro plurali arteriarum confluentium numero passim occurrunt apud Auctores. Nunc obiectionem, ex qua fit quominus compressoria instrumenta adhiberi possint, diluere conatur idem Heisterus citat. dissert. §. 31. sed ut mihi videtur non satis feliciter.

(e) Quamvis tot ac tanta precessissent mirum ac novum visum fuit Carolo Guattano prestitisse operationem deligate arterie in quodam, cujus historiam referri curavit in Comment. Instit. Bonon. post Comment. predict. Molinelli to. 2. parte 1. relegendam, cui adiecit experimenta Anatomica pro Anastomosibus, quas in Arteria radiali deprehendit a se suscepta.

(f) Ratio quare in vulneratis arteriis aliqui ex recentioribus amputatio=

nem suaserint, neglecta Arteriæ ligatura, hæc erat, quod forte figuris Auctorum Anatomicorum, quas de Arteria Aorta, arteriaque brachiali dederunt nimis crediderint, qui fere omnes Verheyeno excepto unicum tantum truncum arteriæ brachialis delinearunt ut videre est in Vesalij et Eustachij, immo et in recentioribus præstantissimis Anatomicis Cowpero scilicet in Anat. Corp. hum. tab. III. et Drakio in Anthrop. Tab. XX, aliisque vel etiam ex Verheyeni quoque figura exteriorem ramum cum Cubito non communicare judicarant.

(g) Commeat. Bonon. Instit. Citat. to. 1. part. 1. pag. 67. Ex tribus, varij habitus, ætatisque viris, quibus cum brachij aneurisma curaretur nervi strictissime absque ullo splenio cum arteria ligati sunt, nullus alia Symptomata passus est, quam quæ operationi vulgo superveniunt, immo trium uni membrum læsum postea robustius accessit. Canibus adultis variæ ætatis, sexus et magnitudinis, cruris arteriam cum nervo adiacente ligasse testatur Joannes Albertus Haron, quin nullus post inductam cicatricem non libere cruris operationem perpesso, ac reliquis intactis cruribus uteretur.

(h) Opinio ejusmodi in quam incidit etiam Dionis Operat. Chirurg. pag. mihi 618. præconcepta prorsus est ex eo quod animadversum fuerit ea gravia Symptomata induci simul ac Sectionem aut alia hujus generis passi sint nervi. Sed diversa res est colligatio, ut mox superius denuo distinguetur. Ex memorata amputatione brachij feliciter patrata, colligatis arteria, et nervis Fridericus Heisterus citat. dissert. § 33. superevacaneum esse colligit monitum illorum, qui præcipiunt in arterijs ligandis nervos esse separandos, magnique momenti esse edocet, nosse quod nervorum, eorumque maximorum ligatura, nullum grave producat Symptoma. Idem probant præfatæ historiæ Molinellij et experimenta in Canibus capta ab Haron multisque alijs expertissimis viris, quæ pro genuinis recognovit Morgagnus Epist. Anat. Med. 16. art. 13.

(i) Platner. Instit. Chirurg. num. 334 aliique

(l) Notatu dignum est, quod historia curati Aneurismatis ab alio Chirurgo qui cavit a colligatione nervi, quamque præmisit Molinellius historijs a se factarum operationum, referat ægrum sanatum

fuisse, sic tamen adducto brachio, ut illud extendere postea non potuerit.

(m) Quocumque autem modo peccet opinio hujusmodi, Morgagnus, ut de ea respondeat, urgeri non debet, quia tam adevrs. Anat. 6. cit. animad. 14. quam Epist. Anat. Med. 16. art. 13. subdit se de obscuris nervorum officiis, ac agendi modo questionibus nolle implicari.

(n) Idem Aaron canes dissecuisse asserit cit. dissert. §. 4. locis, quibus vinctura iniectae fuerant, nervumque durum densum in olivarem figuram maxime ampliatum, tum ex membranarum parte, sed interioris potissimum substantiae reperiisse, variae autem magnitudinis pro nervi haud dubio crassitudine pro vinculorum intervallo temporisque spatio, quod a vinctura ad sectionem usque intercederet.

Tabula unica.

Figura. I. A.A. Bacilli lignei funiculo ligati - B - splenium.
CC. Altera Bacillorum extremitas, qua manu comprimuntur.

Fig: 1.




Fig: 2.




Fig. 2.
A. Splenium cujus Manubrium H. manuducitur per rimulam B_C. situ ad opportunitatem accommodato. D*D. Lamina metallica quæ rotatur in axe D*.
E. Altera lamina metallica, in cujus extrema parte I. fixa est fascia coriacea F. quæ figitur in Fibula G, cujus ope peragitur compressio splenii in lamina D. contignati